

X.

α ΧΡΕ ω!

BIGAM
ORACULORUM
PROPHETICORUM,

EX
Ei. XXIX, 13. 14. & Ezech. XXXVII, 26. 27. 28.

PRÆSIDE

Venerandæ Facultatis Theologicæ
DECANO SPECTABILI
VIR O

Maximè Reverendo, Magnifico atq; Excellentissimo

DN. JOHANNNE *Deutschmann* /

Doctore Theologo celebratissimo, ejusdemq; Fa-
cultatis Professore famigeratissimo, Alumnorum
Lectoralium EPHORO gravisimo,


Domino, Patrono, Evergetâ ac Studiorum Promotore
Magno

Publicæ ventilationi subicit

M. JOHANNES GEORGIUS *Müller* /
Freib. Miln.

In Auditorio Theologorum,

Ad diem 16. Jan. Anno *χρ̄σ̄τογ̄ορ̄ιας* M. DC. LXXIV.



WITTEBERGÆ

Literis MICHAELIS MEYERI RELICTÆ VIDUÆ

zō.

Handwritten marks

coll. diss. A
62, 1

sq. A 162 (1)

Genere atq; Spectabilitate Clarissimo

DN. SEBASTIANO GOTT-

FREDO Starcken /

Ser. Elect. Sax. à Secretissimâ manu,

Patrono atq; Fautori æstumatissimo

Nec non

PræClarissimo atq; Eruditissimo

DN.M. JOHANNI GABRIELI

Drechsflern /

Lycei, quod Halæ est, SUBRECTORI

dignissimo, Fautori honoratissimo.

*Cum devotâ omnia boni appreciatione,
eâ, quâ par est, humilitate*



Oraculorum hanc Bigam

sacram esse voluit.

M. Joh. Georg. Müller /
Freib. Elect. Alumn.

XXXVI. ORACULUM PROPHEPICUM

EX ESA. XXIX. 13. 14.

AD DOMINICAM VI. POST TRINITATIS.

DE HYPOCRITICA JUSTITIA.

1.



Att. V. 20. seqq. Christus optimus iustitia Doctor
inter alia de iustitia hypocritica, seu Pharisæica, disse-
rit, & ostendit partim hypocritica iustitia subiecta
v. 20. nim. tum scribarum, tum Pharisæorum, tum alio-
rum hypocritarum, vel judæorum, utpote qui fuerunt illorum audi-
tores, & ab iis eandem doctrinam corruptam hauserunt, partim
hypocritica iustitia dicta v. 21. 22. tum quoad externum auditum, audi-
stus, instat hypocritarum, quemadmodum illi solent audire; tum
quoad externum sonum, quia dictum est antiquis, quoad externam lite-
ram. Non occides; tum quoad externum sensum, quia præceptum quin-
tum de homicidio saltem actuali fuit expositum; *Qui occiderit,*
veus erit iudicio, cui Salvator Christus, genuinus legis Doctor & in-
terpres, pleniorum sensum opposuit v. 22. partim hypocritica iustitia
facta v. 23. qualia sunt externa, vel hypocritica coram Deo compari-
tio, hypocritica muneri ad altare oblatio, externa, vel hypocritica cum
fratribus conversatio, qua ratione schema pietatis & Christianæ
charitatis præ se ferunt, sed absq; vera ad Deum conversione, &
sincera cum fratribus reconciliatione, in opere operato cultum re-
ligiosum consistere censent. Talem Hypocriticam iustitiam Chri-
stus in Scribis, Pharisæis, ac aliis Judæis, reprehendit, & talem etiam
in Pharisæorum, vel Judæorum Majoribus Esaias suo tempore vidit,
& in ipsis Pharisæis tempore Messie futuram prævidit, sicut ipse
Christus testatur *Matt. XV. 8. ex Esa. XXIX. 13. 14. ubi Pharisæorum*
hypocriticam iustitiam redarguit. Nos modo juxta prophetica
vatici nunc Hypocriticam iustitiam meditabimur,

*Matt. V. 20
seqq. de iusti-
tia Hypocri-
tica*

Subiecta.

Dicta.

Facta.

A

2. Esa-

DE HYPOCRITICA JUSTITIA

Esa. IX. 17.

Hypocritarum Copia.

2. *Esa. IX. 17. Omnis hypocrita est, & nequam, & universum os locutum est stultitiam, dicit propheta, querelam Domini de Hypocritis exponens. Tria verò Dominus hypocritarum καριθησα verbis allegatis recenset, quibus luculenter ostendit, nullam prorsus penes hypocritas justitiam inveniri. Nam ubicunq; regnant hæc idiomata, quæ Dominus h. l. tribuit hypocritis, ibi nulla justitia locum invenire potest. Ostendit autem Dominus (1) Hypocritarum copiam, omnis hypocrita est, Lush. Et sicut alzumal heuchler. Hypocritis licet vitium sit turpissimum, Deo & hominibus piis detestabile, plausibilem tamen prætextum, plausibilem statum gerit, cum exterius niteat, & pietatis atq; religionis speciem habeat, unde maxima datur hypocritarum copia; nam omnes videri volunt pii, quamlibet tales non sint, in ò hypocritis omnibus se hominibus communis *Psal. XII. 3.* facile namq; suos invenit basiatores, suos admiratores, & sectatores. Unde conqueritur h. l. Dominus de populo *Israëlitico*, quod *Seniores & Prophete v. 15. ductores populi v. 16. omnes juniores, orphani & vidua v. 17.* imò quod omnes in universum hypocrita sint. Vivebant omnes in Ecclesia, membra se dicebant Ecclesiæ, gloriabantur de Magno *Israëlis Deo*, de pietate sua singulari, cujus etiã pomposam præ se ferebant speciem, sed interim vere pietatis virtutem abnegabant *II. Tim. III. 5.* Tales etiam tempore Christi *Pharisei fuerunt & scribae*, in universum omnes, ut passim conqueritur ipse Christus.*

Hypocritarum Malitia.

3. (II) *Hypocritarum Malitiam, & nequam.* Coram seipso quilibet hypocrita non malus, sed maxime pius esse videtur, sibiq; sua pietate minuscè placet imò in se, suaq; pietate nimium quantum confidunt hypocritæ ales, & reliquos alto supercilio contemnunt *Luc. XIX. 9.* Coram mundo tales etiam apparent, quia mundus illud, quod in oculos incurrit, tantum attendere consuevit, unde hypocritæ suam in jejuniis deformant faciem, in Eleemosynis distribuendis taba cantant, in extremitatibus platearum orant, ut ab omnibus videri queant *Matt. VI. 1* imò coram Deo quicquid tales haberi postulant, & in ipso Domini templo de hypocritica sua pietate gloriantur. Exemplo nobis esse potest *Phariseus ille gloriosus Luc. XIX. 9.* qui coram facie Domini suam hypo-

hypo-

DEHYPOCRITICA JUSTITIA.

hypocritam producere, pietatem suam aliorum pietati præferre, ceterosq; præ se contemnere, nullus dubitavit: sed revera tales in foro justitiæ divinae mali sunt, unde malos hoc loco Dominus eos pronunciat, & *homines nequam*: & Christus *Luc. XIX. 14.* Phariseum cum omni hypocritica sua pietate condemnat, miseram verò publicanum justum declarat: In Ecclesiæ foro quoq; tales dicuntur, unde Christus sæpius coram *hypocritis Phariseorum* reprehendit *M. tt. XV. XXII. XXIII. &c.*: & larvam pietatis ipsis detraxit: in foro conscientiæ suæ tales etiam revera sunt, & ipsimet optime ærant, interiori pietatis laude se destitui, licet exterius pietatis fraude gloriari velint. Vere proinde mali sunt, quia duplici ratione peccant, veram justitiam deserendo & contemnendo, falsam justitiam fingendo, illiq; speciem pietatis affingendo, sicut *Jerem. II. 13.* Dominus de hypocritis ejusmodi prolixè conqueritur.

4. (III) *Hypocritarum stultitiam, & universum os locutum est stultitiam.* Hypocrita eqvidem sapientiam singularem & omnibus admirabilem simulant, imò soli sapientes videri volunt, quia sunt *caput & cauda populi v. 14. Seniores & Doctores v. 15. Prophete & Scribe, Pharisei & Legisperiti*, sicut passim in *Evangelistarum* historia vocantur: imò titulum *Magistri* sibi quasi solis illi tribuebant *Matt. XXIII. 20. Joh. III. 10. scripturæ magistri* volunt haberi *I. Tim. I. 7. Rom. II. 19.* sed revera non sapientiam, sed *stultitiam loquebatur os eorum*, quia verã Dei justitiã pervertebant, aliam verò justitiam sibi fingebant, & aliis, docendo, proponebant! unde Christus *Matt. V. 20.* n. si vestra justitia præ justitia Phariseorum & Scribarum abundaverit, non potestis ingredi regnum cælorum: *justitiam fidei* negligebant, *justitiam operum* constituebant *Luc. XIX. 11.* verum legis sensum detorquebant, legitimum usum auferebant, vel invertebant, hypocriticos prætextum in lege Domini querebant, & juxta mores hypocriticos, vel animum & scopum hypocriticum eam intelligebant, quod prolixè Christus reprehendit *Matt. V. 23. seqq.* Tales etiam in V. T. fuerunt *hypocrite*, quos gravissimè Dominus apud *Esaiam* reprehendit, & turpissimum *hypocriticos* vitium in apicem producit, atq; vivis coloribus de-

Hypocritarum Stultitia

DE HYPOCRITICA JUSTITIA.

pingit, ut omnes illud fugere, veraq; pietati studere discamus, Quare juxta Propheticum Oraculum Esa. XXIX. 13. de justitia. Hypocritica plura nunc proferemus, quia Propheta describit I. Hypocriticae Justitiae Formam. v. 13. II. Hypocriticae Justitiae Normam. v. 13. III. Hypocriticae Justitiae Censuram. v. 14.

5. Et Dixit Dominus, exorditur praesens Oraculum Propheta, quo luculenter indicat, quod hoc de Hypocritis judicium non sit hominis, vel angeli, sed ipsius Dei, non ministri, sed Domini, adeoq; nos eo attentius accipere, eo diligentius inquirere, eo plenius percipere, judicium hoc de Hypocritis debemus, cum primis quia veram justitiam tollunt, fictam & falsam substituunt Hypocriticae. Dominus autem ostendit I. Hypocriticae Justitiae formam v. 13. *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me.* Hic nulla fit mentio justitiae, Christi, nulla inventio fidei; cum tamen vera coram Deo justitia sit, qua fide Christum apprehendimus Rom. II. 28. qua spiritualiter in Christo vivimus Gal. II. 20. qua per Christum in Deum credimus, cum absq; fide sit impossibile placere Deo Heb. XI. 6. Sed Hypocriticae justitiae forma consistit (I) *In externa oris professione, Populus iste appropinquat ore suo, hoc est externa professione se vocat Dei populum, professione se prorsus ab aliis gentibus separat, professione quoq; non pro alio, quam religioso populo, Deiq; peculio vult haberi: sed haec professio tantum in externa quadam appropinquatione, non autem in interna adhaesione consistit; tantum est oris, non cordis professio: hinc, juxta Dei testimonium SUO tantum, id est, humano ore, non autem MEO, vel divino ore, appropinquare dicitur, quia tantum ex opinione, ex imaginatione, ex gloriatione sua populum Dei se vocat, non autem ex rei veritate, vel ex judicio meo populus est. Populus igitur hypocriticus est, non sincerus, verbalis, non realis, titulus tenus, non autem ipso facto, vel ex fundamento talis, unde Dominus ipsam populum, non SUUM, ut alias Israëlitae appellare consueverat, sed per contemptum ISTUM populum, qui propter malitiosam hypocrisin Dei nomine, vel appropriatione se prorsus indignum fecerit, nuncupare voluit.*

6. (II) *In externa labiorum Confessione, Et labiis suis glorificat me, quia non tantum professione nominis, sed etiam oris & labio-*

7488

*Hypocriticae
Justitiae For-
ma.*

*In oris exter-
na professio-
ne.*

*In externa
labiorum Con-
fessione.*

DE HYPOCRITICA JUSTITIA.

rum confessione populus Dei vult haberi, cum sua *confessione* me glorificare, honorare, vel etiam ad rare contendat; sed *confessio* talis est vere *hypocritica*, dum non est *cordis*, sed *oris* tantum, non *cogitationum*, sed *labiorum*, *confessio* non vera, sed *ficta*, non in *pietate* solida fundata, sed *externo pietatis colore fucata*; honor iste, quē mihi *cultu labiorum* offerre contendit saltem, quoad omne *fundamentum*, est *labiorum*, dum in *labiis* incipit, quoad *instrumentum*, quia saltem *labiis* fit, & in *labiis*, eorumq; sono nudo consistit, quoad *complementum*, quia statim in *labiis* definit: *labiis* SUIS, inquit Dominus, *me glorificat*, id est, saltem *humane*, imò tantum *hypocriticis labiis*, non autem à Spiritu Sancto tactis, vel motis, cum omnis honor Dei verus non nisi per sancti Spiritus operationem à fidelibus instituat, & in fidelibus reperiatur.

7. (III) *In cordis interna secessione*, Cor autem eius longe est à me: cor alias prima veræ pietatis officina, vera pietatis origo, proprium pietatis fundamentum, & primarium pietatis instrumentum, in sacris literis dicitur. Homines ea, quæ sunt oculis obvia, respiciunt, sed DEUS cor ipsum respicit 1. Sam. XVI. 7. sicut enim omnia peccata fundamentaliter & radicaliter è corde prodire dicuntur Matt. XV. 18. ita pariter necessum est, ut verus Dei cultus in corde fiat, sit, & maneat, ibidemq; suam primariam sedem inveniat: nam si Cor sit *nequam*, reliqua membra cordis nequitiam vel statim, vel paulatim imitantur. *Nequam* autem cor dicitur, quod à Deo recedit: nam in quantum à Deo recedit, ad Diabolum, omnis nequitiae promum condum, omnis malitiæ Magistrum, accedit, & à cultu Dei genuino prorsus per turpissimam apostasiam discedit. Et hæc vera est natura *Hypocriteos*, quæ in cordis à Deo secessione consistit, in externa vero professione, vel confessione verbi hypocritica gloriolam quærit. Neq; tales hypocritæ tantum olim vel *Esais*, vel *Christi* temporibus fuerunt, sed adhuc hodie magna reperitur in Ecclesiæ medio hypocritarum multitudo. Nam omnes ore tantum appropinquant, sed ore SUO, id est, *hypocritico*: sic omnes DEUM honorant, sed *labiis suis*, id est, *hypocriticis*. Quotquot enim DEUM exterius adorant, interius DEUM corde vel

*In cordis
terna seces-
sione.*

DE HYPOCRITICA JUSTITIA.

ignorant, vel non cogitant, sed cogitationibus internis tempore cultus à Deo recedunt, etiam si baptisati sint Christiani, verbi diligentes auditores, externi Dei cultores, tamen ad hypocritarum classem pertinent.

II. Hypocritica
cajustitia
Norma.
Ficta.

8. II. *Hypocritica Justitia Normam* verba media presentis Oraculi produunt, *Et timuerunt me mandato hominum, quod docetur Luth. in plur.* Und mich fürchten nach menschen Gebot/die sie lehren. In his verbis ostenditur, *mandat a hominū quod inventa hominū commenta* hominum sint, qualis hypocritarum norma, (I) *Norma ficta*, *Et me timuerunt*: nam hypocritæ prætendunt, se *timere DEUM* & ut pariter externo se cultores Dei gerere contendunt, eo non attento, quod intus, & in cute, sicut ajunt, meri sint hypocritæ, cum ore tantum ad Dominum appropinquent, pectore verò nullam appropinquationis curam foveant, cum labiis tantum DEUM honorent, animis verò suis nihil honoris divini concipiant, ita quidem ut corde procul à Deo recedere dicantur. Si hoc non est fictum, nihil certe fictum erit. DEUS non vult hominum mandatis coli *Matt. XV. 9.* ac propterea veram pietatis normam omnibus sui cultoribus exhibuit, legem videlicet suam, juxta normam hanc accuratam, & in omnibus probatam, omnes vitam, actionesq; suas dirigere tenentur, quotquot sincero, non ficto, seu fucato, cultu DEUM colere satagunt: sed *ἑβαλεθησκεία*, vel *hominum commenta* sunt *ficta pietatis norma*, quam dum hypocritæ ratione sui cultus amplectuntur, eamq; sequuntur, ideo DEUM ficto, non vero, hypocritico, non Christiano, adulterino, non genuino cultu honorare dicuntur.

Dubia.

9. (II) *Norma dubia*, vel *incerta*, *Mandato hominum*, nach Menschen Gebot. *Norma* requisitum aliàs necessarium est, ut *certa* sit, & *indubitata*, quia norma, quæ dicitur, & est *incerta*, nihil certi normare potest: talem certam normam DEUS cultoribus suis constituit, *Decalogum* nim. juxta quem omnes cogitationes, sermones & actiones dirigere possunt: at ea, quæ proficiuntur ab hominibus, dubia sunt, incerta, variisq; mutationibus obnoxia. Talia sunt hominum mandata, traditiones, quas vulgo vocant,

DE HYPOCRITICA JUSTITIA.

vocant, quales traditiones Seniorum etiam Christus reprehendit *Matt. XV. 8.* His enim traditionibus introductis, omne tempus, omnis labor, omnis cultus his impenditur, cultus verò divinus & lex divina negligitur, & sic frustra DEUS colitur. DEUS enim certa, non dubia norma colendus est. Hominum mandata maxime dubia, cum voluntas hominis sit mutabilis. Homines ipsi mutantur, & quod unus certa traditione constituit, alius alia constitutione destituit, vel incertum reddere potest.

10. (III) *Norma Acatolica*, die sie lehren: *norma proprietatis Acatolica* est, ut perpetua sit, & hoc etiam à *norma* pariter exigitur, ut *antiquissima* sit, ab omnibus recepta, quæ *norma* dicitur omnium optima: sed quæ *norma* non in se *norma*, sed tantum ut *norma* docetur, vel proponitur, aut per novam doctrinam introducitur, à paucis Doctoribus, vel potius seductoribus producitur, primæ, seu veteri, vel etiam publicæ, divinitus & in natura fundatæ, autoritate maxima tum ab omnibus hominibus, tum de omnibus rebus, tum in omnibus locis approbatæ, substituitur & opponitur, à Doctoribus vel bonis, vel mala quadam intentione rudioribus & aliis imponitur, illa suspecta, noxia, vel ad minimum periculosa dicitur. Hypocritæ secundum normam vivere, DEUMq; timere dicuntur, non quam DEUS instituit, sed quæ saltem ab ipsis excogitata deprehenditur hypocritis, non quam DEUS docuit, sed quam ipsimet doctrina suspecta docuerunt; non quam DEUS probavit, sed quæ cordibus & cogitationibus ipsorum placuit.

11. III. *Hypocritica justitia Censura* v. 14. proponitur. Non enim DEUS impunitum relinquit *Hypocriseos* vitium, sed justitiam illam *Hypocriticam* iusta censura castigat. Sicut Christus *Matt. V. 20.* justitiæ Pharisæicæ, vel hypocriticæ, regni Dei consecutionem penitus denegat, ita quoq; DEUS h. l. gravissimas eidem dat censuras, quales sunt (I) *Mirabilis pænæ temporalis Irrogatio*, *Ideo ecce, ego addam, ut mirabiliter agam cum hoc populo, plane mirabiliter*, *Lutb. so* *will Ich mit diesem Volck wunderbarlich umgehen/ auffß wunderbarlichst* *und seltsamst.* DEUS enim quando pœnas suas immittit hominibus, III. Hypocritica Justitia Censura
Mirabilis pænæ temporalis irrogatio
mira

DE HYPOCRITICA JUSTITIA

mira dicitur passim agere, vel mirabilem se gerere, & per ejusmodi mira ipsa pœna sapius intelliguntur *Exod. III. 20. VII. 3. XI. 9. Jer. XLII. 18. XLIV, 17.* ubi miraculum cum maledictione conjungitur. Nec vulgaris erit hæc justitiæ hypocriticæ pœna, quæ de causa non satis verborum DEUS habere videtur, quibus hanc mirabilem pœnam explicare queat, *Er wil wunderlich mit diesen Volck umgehen / Er wil auff's wunderlichste mit ihnen umgehen / Er wil auff's seltsamste mit ihnen umgehen /* cum omnis hypocrisis abominatio sit coram Deo, & hypocritæ Deo detestabiles *Job. XIII. 16.*

12 (II) *Totalis Sapientiæ spiritualis sublatio*, peribit enim sapientia à sapientibus ejus, illis scilicet sapientibus hypocritis, qui sibi videbantur sapientes, & clavem scientiæ possidere *Rom. II. 17. & seqq.* his enim Dominus sapientiam mysteriorum suorum manifestare noluit *Matt. XI. 25.* propter summam ipsorum hypocrisiam & hypocriticam ingratitude. Vid. *I. Cor. I. 21.* imo sapientiam eam, quam possidebant, abstulit, & ita sapientiam eorum penitus destruxit. Hæc sapientiæ spiritualis, videlicet notitiæ Christi, justificationis, salutis, sublatio, vere motem spirituale, & omnia alia spiritualia mala infert, sicut è contra notitia hujus sapientiæ vere justificat *Esa. LIII. 12.* quia in scientia sui servus justus Messias multos justificat.

13. (III) *Miserabilis prudentum excæcatio*, & intellectus prudentum ejus abscondetur: non enim nuda sapientiæ sublatio sequitur hanc hypocrisiam, & hypocriticam justitiam, sed etiam ipsa prudentum excæcatio. Vid. *Matt. XII. 30. seq. Esa. VI. 9. Job. XII. 40. &c.* ubi de Pharisæorum excæcatione Christus loquitur, qui non modo peccatum in Filium hominis, sed in ipsum Spiritum Sanctum committebant non ex alio principio, quam ex pertinaci justitiæ hypocriticæ studio, summoq; justitiæ Christi contemptu. DEUS enim quando suam sapientiam aufert, satanas non est otiosus, sed summa diligentia varias blasphemias post divini sapientiæ sublationem disseminare studet. Vid. *Luc. XI. 15. Job. XX. 48.*

XXXVII. ORACULUM PROPHETICUM.

Ex EZECH. XXXVII. 26. 27. 28.

AD DOMINICAM VII. POST TRINITATIS

DE

BENEDICTO DEI AUGMENTO

I.

Marc. II. 1. seqq. *varium augmentum Dei, sed vere benedictum reperimus, & quidem partim augmentum benedictum turba, quæ typus est Ecclesie, quæ ratione turbae, vel Ecclesie benedictum augmentum describitur, tum ratione temporis, quod in diebus illis, nim. Christi, vel etiam Novi Testamenti, potissimum Ecclesia creverit; tum ratione quidditatis, quia crevit Ecclesia per turbas multas, cum Ecclesia N. T. benedictum augmentum ex omnibus gentibus, vel turbis multis sumserit; tum ratione qualitatis, quod, Ecclesia crescente, crescat etiam misericordia, quia non habebant, quod manducarent; partim benedictum augmentum misericordiae, tum quoad misericordiam dictorum, quia convocatis discipulis Christus veræ misericordiae verba proposuit; tum quoad misericordiam viscerum, quia dicit $\omega\lambda\alpha\chi\iota\varsigma\ \mu\alpha\varsigma$, quod omnia viscera præ misericordiae magnitudine & multitudine commoveantur; tum quoad misericordiam factorum, quia misericordiam prodit misericordissima provisio v. 2. 3. quia non vult eos jejunos dimittere, ne deficient in via; misericordissima consultatio, quia de panibus ad cibationem esuriens populi consultat v. 4. 5. & misericordissima præceptio v. 6. quia præcepit esurientem turbam discumbere super terram: partim augmentum benedictum Christi beneficentiae, tum quoad cibi benedictionem v. 6. 7. tum quoad benedicti cibi operationem v. 8. tum quoad benedicti cibi multiplicationem, quia post saturationem de paucis illis panibus reliquiarum septem sportas impleverunt: Per hoc divina benedictionis augmen-*

Marc. II. 1.
Triplex au-
gmentum I
benedictum
Turbae.

Misericord

Beneficentia.

B

tum

DE BENEDICTO DEI AUGMENTO.

tum plus residui fuit, quam antea substantiæ adfuit. Ita benedictio divina nobis non advertentibus auget, quicquid humanis oculis & mentibus, vel conceptibus videtur minutum & exiguum, ut verè *Benedictum Dei augmentum* fidelibus semper adsit: quod etiam perpetuo meditari, admirari, vel etiam in eo firma fiducia gloriari debeat. Ad hoc *divina benedictionis Augmentum*, vere benedictum ipse Dominus populum suum, & nos omnes ablegat *Ezech. XXXVIII. 26.* ex quo *Benedictum Dei Augmentum* modo considerabimus.

*Gen. I. 28.
Augmenti be-
nedicti Prin-
cipium.*

2. Sicut jus Creationis & Conservationis creaturarum jus est *divinae Majestatis*, ita jus *divina benedictionis & benedictæ multiplicationis, vel augmentationis*, inter *divinae Majestatis jura* suo merito recensetur. Unde non tantum alibi passim *multiplicandi, vel au-
gend. jus* Deo in sacris literis adscribitur, sed ipsa *Majestas divina* statim in & à creatione *jus* hoc *summæ potestatis* sibi tribuit *Gen. I. 28.* Inter alia siquidem *benedictionis indicia*, vel etiam *præcepta*, Deus homini dicit *Gen. I. 28. Multiplicamini, Mhret euch.* His verbis, vel etiam hoc *majestate plenissimo præcepto* monstrat. (1) *Augmenti benedicti principium*, quod est *Deus, Elobim, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* Nam hic *Elobim* de homine creando consultationem instituit *v. 26.* hic consultationem de homine creando susceptam in actum deduxit, & hoc *microcosmi pulcherrimum edificium artificiosissime formavit v. 27.* Hic *Elobim* est *Deus dicens, & Pater creans: est Elobim Verbum, & dicto creans: est Elobim Spiritus, fovendo incubans v. 2.* hic benedictioni præcipit, ut adsit *augmentum benedictum* præcepto effundit, *Mhret euch* / ut ita patet a *ejus benevola voluntas* in hominem, *ejusdem beneficia* in hominem *potestas. Majestatis, & summæ potestatis est, præcepta præscribere aliis, quia jus ferendi leges non ignobile jus est Majestatis: ita Deus jus hoc Majestatis h. l. exercet, dum non voto benedictum hoc augmentum optat, neq; desiderio suo vehementer id effigiat, sed præcepto divino potenter autoritate sua mandat, Mhret euch.* Sicut enim Dominus servis suis subditis dominatur, iisq; *æ voluntatis observationem, mediantibus certis præceptis imponit, ita Deus creator Dominus est creaturarum, illisq; præcepta pro lubitu præscribit Matt. VIII 9.*

| 10. (II)

DE BENEDICTO DEI AUGMENTO.

3. (II) *Augmenti benedicti Modum*, qui verbo *Mehret* exprimitur: auget Dominus creaturas, auget creaturis beneficia *dicendo, prescribendo, iubendo, vel etiam ad multiplicationem actualem deducendo, multiplicationem ipsam inferendo, vel efficiendo, quia Dei dictum est factum*: sicut enim verbo Dei, vel iussa divino creaturae statim extiterunt, ut ex universo creationis catalogo *Gen. 1.* liquet; ita pariter Dei dicto, iussa, vel praecepto creaturae multiplicantur, augetur, ornantur & exornantur: auget praeterea Dominus *benedicendo*, quia hoc augmentum nihil aliud est, quam divinae potestatis benedictio: Dominus benedixit illis dicens, *Crescite & multiplicamini*: Deus auget denique *benefaciendo*, augmenta nova conferendo, decremента quavis avertendo, quia subjicitur, *& replete terram*, quod certe sine multis & magnis incrementis fieri non poterat. Hic igitur modus Dei non verbalis, sed realis, non potentialis, sed actualis.

4. (III) *Augmenti benedicti Objectum*, *Euch*: licet enim Deus sic *auter* non tantum, sed *auctor* etiam omnium creaturarum, quia tamen homo creaturarum Dominus & fons est, ideo praesertim hominis auctor & auctor esse dicitur: auget verò Deus hominem bonis animi, bonis corporis, & bonis fortunae: auget ipsam bonis externis, bonis internis, bonis aeternis: cum primis hoc utilissimum divinae benedictionis augmentum est, quo cibum & potum, & alia largitur, unde *Gen. 1. 29.* statim adjecit: *Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram, & universa ligna, in quibus est fructus, & producant semen, ut sint vobis in escam &c*: in id cibum & potum quotidie nobis incrementis non paucis, neque parvis auget, ut jam ex *Mate. 13. 1. seqq.* audivimus, & ex aliis etiam vel miraculis, vel experimentis divinae providentiae liquet. Hinc illud *benedictum augmentum* passim in sacris literis promissum, quemadmodum inter alia luculenter ex *Isaeb. XXXVII. 26. seqq.* videre licet, ex quo nunc *Dei benedictum augmentum* breviter explicabimus, quia *Propheta* producit I. *Augmenti benedicti Principia* v. 26. II. *Augmenti benedicti Indicia* v. 27. III. *Augmenti benedicti consequentia* v. 28.

5. I. *Augmenti benedicti Principia* quod concernit, ill v. 26.

B 4

Augmentum benedicti Principia pro.

DE BENEDICTO DEI AUGMENTO.

**Divina Paci-
ficatio.**

proponuntur emphaticis verbis: *Et percutiam illis fœdus pacis, pœ-
tuum sempiternũ erit eis, & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctua-
rium meum in medio eorum, in perpetuum.* In his verbis tria cumpti-
mis Augmenti benedicti principia reperiuntur (1) Divina pacificatio,
Et percutiam illis fœdus pacis, pœtuum sempiternum erit eis: principi-
um hoc certe præclarum est; ipse Dominus & benedictionis, & multi-
plicationis principium est, idq; non tantum verbo, sed etiam facto, *ich
wil machen / facto non vulgari, sed peculiari percussione, nimirum pe-
culiaris pactionis, aut fœderationis, ut certitudo, vel etiam firmitas
hujus principii nobis innotesceret, quia notum est, quod in fœde-
ribus firma quædam obligatio, continuatio, & corroboratio re-
peritur: & quidem fœdus pacis esse dicitur: tempore politicæ
pacis omnia florent & vigent, omnia per Dei benedictionem in-
crementa quotidiana vident; pax aurea rerum, quas homini novisse
datum est, in ò pace, vel concordia res parvæ crescunt, sicut discordia
res magnæ dilabuntur: longe verius hoc, ubi divina pax, fœdera-
ta Dei pax, æterna Dei pax, qualis pax hoc loco, eum præsentissimum
augmenti benedicti principium, introducitur.*

**Divina Con-
servatio.**

6. (II) *Divina Conservatio, & fundabo, vel conservabo eos, &
multiplicabo:* nam ea, quæ conservantur, crescunt, sicut ea, quæ
dissipantur, decrescunt *Prov. XIII. 15.* sed ea, quæ per ipsum Deum
conservantur, illa maxime crescunt & augentur, cum divina conser-
vatio sit vera benedictio, firma fundatio, copiosa multiplicatio, omnis
maledictionis aversio: sicut enim divina conservatio nihil aliud, quam
creatorarum confirmatio, ita quoq; verissima dicitur fundatio:
nam & creatio: & conservatio rerum fundamentum, dum solus
Deus *IN* basis & fundamentum omnium rerum, verumq; multipli-
cationis principium.

**Divina san-
ctificatio.**

7. (III) *Divina sanctificatio, & dabo sanctuarium meum in
medio eorum in perpetuum.* Hæc Domini sanctuarium veræ benedictionis,
& benedictæ multiplicationis gymnasium, medium atq; principium est.
Nam ubicunq; Dominus nominis sui memoriam posuit, ibidem
ad nos se gratiose venturum, & nobis, atq; nostris omnibus co-
piose benedicturum, certo promisit *Exod. XX. 24 Confer. I. Reg. III.
Lev. XXVI. Dent. XXIX. &c:* Non enim hoc sanctuarium est regis,
vel

DE BENEDICTO DEI AUGMENTO.

vel principis terreni, sed ipsius Dei, Dei verò non maledicentis, sed benedicentis, siquidem ubi nominis divini sanctificatio, ibi spiritualium donorum dispensatio: jam ubi spiritualium donorum dispensatio, ibi quoq; terrestrium beneficiorum collatio, vel multiplicatio: cum primis quia tale sanctuarium est in medio nostrum, ita ut nos totos repleat, non equidem ad tempus vel modicum, vel diuturnum, sed in perpetuum, dum à sanctuario suo nunquam abest, vel abesse potest Dominus: Dei vero presentia gratiosa, nostra benedictio copiosa & continua: hic omnem aufert inopiam, omnem sua presentia confert copiam. Et sic facile colligitur, quodnam sit verum Ecclesiae, polisiae, & familiae incrementum, & unde sit rei cujusvis augmentum, nimirum ex gratiosa Dei confederatione, fiducialiq; fœderis hujus apprehensione, applicatione & observatione, ex Dei nobiscum pacificatione, ut veram cum Deo, creaturarum omnium autorem, omnisq; benedictionis fontem, vel etiam nostrum, & rerum nostrarum auctorem, pacem colamus, & sanctuarium ejus perpetuo nobiscum retineamus. Sic enim firma Dei promissio manet, ipsum nos conservaturum, nobis & omnibus nostris copiose benedicendum, & omnia nostra gloriosè multiplicaturum esse.

8. II. *Augmenti benedicti signa, vel indicia v. 27. describit. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.* His verbis indicia tria producit, quorum (1) Divina cohabitatio, *Et erit tabernaculum meum in eis, Luth. Und ich wil unter ihnen wohnen.* Deus siquidem nobiscum habitat, non absolutum, & ex necessitate fixum domicilium inter nos ponendo, sed in tabernaculo commorando, sicut propterea dicitur de Filio Dei, quod *Verbum caro factum sit, ita, ut tabernaculū inter nos posuerit, vel in tabernaculo habitavit Joh. 1. 14. ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, in tabernaculo habitavit in nobis: idem figuratum est per habitationem Patriarcharum, Abrahami, Isaac, & Jacobi, qui proprium sibi domicilium in terra Palestina non compararunt, sed in tentoriis habitabant. Sicut igitur tabernacula facile loco moventur, & ad alia loca transportantur; ita quoq; facilis est ad alium populum Dei transitus, nisi praeceptis ejus amplius obedire velimus. Sed quamdiu verbum*

II. Augm
benedicti
dicia.
Divina co
bitatio.

DE BENEDICTO DEI AUGMENTO.

Dei servamus, Deum sanctificatione nominis colimus, & vera fide sanctuarium ejus respicimus, tam diu manet inter nos Dei tabernaculum, & ipsum Deum in tabernaculo presentem habemus. Si verò Deus suam nobis essentiam, suam quoque presentiam exhibet, omnia vel in Deo, vel cum Deo, nobis bona presentia sunt: appropinquante Deo, benedictionis augmentum, quoad res omnes, appropinquat: Deo nobiscum habitante, sedem apud nos omnium rerum nostrarum incrementum certissimam figit: Deo nobiscum manente, non potest ulla penuria res nostras affligere, omnis copis res nostras augere teneretur. Nam si Deus Filium proprium dedit, imò seipsum nobis donat, nobis cohabitatur, quanto magis alia caduca nobis suppeditabit *Rom. IX. 32.* Civitates & alia loca, in quibus Aulae Regum, vel Principum commorantur, ratione civitatum, aedificiorum, aliarumque rerum, abundantiam augentur: illius etiam loci cives & incolae multa sumunt incrementa, cum ex universo regno varia bona confluant ad aulam: imò quarumcunque rerum copia undique in regno reperitur, illae circa aulam vel maxime cumulantur; Nobiscum Dei tabernaculum esse dicitur; hoc sedes Dei, regia, vel aula Dei, hoc indicium Dei praesentis & residentis, universa proinde bona ex regno Dei, hoc est, ex universo mundo, circa hanc aulam conflunt, & magnum rerum nostrarum augmentum pariunt.

*Divina domi-
natio.*

9. (II) *Divina dominatio, & erogen Deus:* Ipse nobis, cum Deus, atque Dominus vult imperare, ipse res nostras variis augmentis vult beare. Rex, quibus imperat, eorum bona multiplicat: omnia bona, quae aliunde consequitur, in suam civitatem transfert, & sic augmenta varia suis subditis confert: ubi rex imperat, ibi regium imperium ipsum incrementi civilis videtur esse non obscurum indicium. Nobis dominatur Rex Regum, quod h. l. Propheta dicit, illud certe dominium non obscurum indicium, quod magna rerum apud subditos ejus sit affluentia, multa divini augmenti efficacia. Dominus ubi sedem suam regiam, & divinam aulam posuit, ibi nulla subditos penuria premit, omnium rerum ibi datur sufficientia. De mundana Civitate docetur in politicis, quod sit perfecta societas,

134,

DE BENEDICTO DEI AUGMENTO.

tas, quod ibi sit abundantia rerum omnium, rerum omnium
sufficiencia: si de mundani Regis civitate verum hoc est, quid
de civitate Regis caelestis dicendum? Certe ubi Deus ipse, ubi
Rex iste, ibi cum ipso regnat omnis abundantia, quia in ipso sunt
omnia, ibi cum ipso regnat omnis sufficiencia, quia ipse est αὐ-
ταρκής, ἢ ὁ ἴψα αὐταρκής.

10. (III) *Divina Subditorum Obsecutio, Et ipsi erunt mihi popu-*
lus. Subditorum est, reges amare, quia subditorum amor primum
subjectionis incitamentum, & constantissimum subjectionis
fundamentum est: subditorum est, Reges honorare, quia honor
superiori cuivis, maxime Majestati debetur: subditorum est, Re-
gibus obtemperare, quia subditorum obsequium, & Regum im-
perium, sunt correlata, quae se mutuo ponunt, mutuo tollunt. Fru-
straneum est imperium, ubi nullum mandatis, vel legibus obse-
quium. Illi propterea subditi vere populum Regis constituent,
qui Regem amant, honorant, ejusque mandatis obtemperant. Pa-
riratione ubi Dei, seu summi Regis, amor & honor, & man-
datorum divinorum obsecutio reperitur, ibi vere Dei populus,
Dei civitas, Regnum Dei. Et haec sunt certissima divina bene-
dictionis indicia, certissima augmenti divini vestigia: siquidem
Deus populo non potest non benedicere, res populi non potest
non augere, penes quem est amor Dei, honor Dei, obsequi-
um Dei.

11. III. *Benedicti Dei augmenti Testimonia* v. 28. introducitur,
quorum (1) *Gentium admiratio, Et scient gentes, quod Ego sum Domi-*
num. Gentes enim, quae summa Dei beneficia videbant, populo
meo exhibita, cognoscent me verum esse Deum, vos sanctum
esse populum, vos benedictum esse populum, & variis divina be-
nedictionis augmentis ornatum. Hoc testimonium ita non tan-
tum apud vos vigeat, qui de benedictione divina re ipsa testari
poteritis, sed etiam apud alias gentes, imò potius apud omnes gen-
tes hærebit. Vid. *Exod. XV. 14, seq. Jos. II. 9. &c.* Sic fama bene-
dictionis hujus excitata *Regina Austri,* venit ad *Salomonem,* ut de
hac felicitate, divinaeque benedictionis incrementis, coram testa-
tur. Admirabantur tantam felicitatem, tot divina benedi-

ctio.

Divina
corum ob-
tio.

III. Beni-
augment
Testimon
Gentium
miratio.

DE BENEDICTO DEI AUGMENTO.

tionis indicia, Deumq; vobiscum gentes conversas celebra-
bunt.

*Israëlitarum
exaltatio.*

12. (II) *Israëlitarum Exaltatio, Sanctificator Israel, der Isra-
el heilig machee.* Nulla siquidem melior, nulla major, nulla da-
tur utilior populi cujusdam *exaltatio*, quam ejus vera *sanctifica-
tio*. Hæc enim facit, ut populus al quis sit Dei peculium, pecu-
liaris Dei populus: hæc facit, ut ejusmodi sanctificatus popu-
lus ab aliis minus sanctificatis sit distinctus: hæc facit, ut è po-
pulo mundi fiat populus Dei, vel Christi, vel cœli, è populo
caduco fiat regnum æternum, quæ optima, pulcherrima, nobilis-
sima est populi alicujus exaltatio.

*Exaltationis
duratio.*

13. (III) *Exaltationis Duratio, cum fuerit sanctuarium meum
in medio eorum in perpetuum.* Hoc verissimum est benedicti aug-
menti divini testimonium: non enim erit *sanctificatio*, vel *exal-
tatio momentanea*, vel *transitoria*, sed *æterna*, & nunquam inte-
ritura, quæ durabit in omnem æternitatem, quia Deus ipse hoc
erit *sanctuarium*. Hoc in mundo, nim. in Ecclesia militante,
sic etiam in altero mundo, vid. in Ecclesia triumphante, hic e-
nim inchoatur benedictio in hac vita, dum omnes per bene-
dictum Abrahamæ semen benedictionem consequimur *Gen. XII. 3.*
Eph. I. 3. sed in futura vita continuabitur & consummabitur. Di-
cet enim Christus in die pantocritico *Matt. XXV. 34.* *Venite be-
nedicti Patris mei &c:* ibi videbimus augmentum divinae salutis,
augmentum æternæ felicitatis, augmentum beatificæ Dei visio-
nis, augmentum æternæ glorificationis. O faustum & exopta-
tum Dei augmentum! ô gratiosum benedictionis augmen-
tum! ô gloriosum felicitatis augmentum! Hoc in mundo per
illud sanctificamur, in altero seculo per idem augmentum glori-
ficabimur. Hoc in mundo tale benedictum augmentum conse-
quimur *fide*, sed in altero seculo possidebimus *In visione*, hoc in
mundo confertur *in verbo*, sed in altero seculo confertur *in ipso
Deo*, quia *Deus benedictus erit in omnibus omnia I. Cor. XV. 28.*

XXX. ORACULUM PROPHETICUM

EX ESAIÆ VI. 3.

AD FESTUM TRINITATIS

DE

MYSTERIO SS. TRINITATIS

I.

Magnum & gloriosum est SS. Trinitatis Festum, & gloriosum SS. Triados Mystrium. Proponitur hoc non obscuris indiciis in festivo Evangelio Joh. III. 1. seqq. & quidem partim in Nicodemi Confessione v. 1. 2. quia suam edit confessionem, tum de Deo Patre, Doctorem Magnum in hunc mundum mittente; tum de Deo filio, tanquam Rabbi, vel Magistro, à Deo veniente, qui Magister est omnis sapientie, cum sit Patris sapientia Prov. II. 1. seqq nobisq; factus à Deo sapientia I. Cor. I. 30. & Doctor Magnus, à Mose Deut. XIX. 18. promissus: imò, Magistrum hunc esse verum Deum, colligitur ex eo, quia nemo signa talia facere potest præter Deum, & qui cum Deo est, vel cum quo Deus est, verus Immanuel, & θεῶς ἑμμενός: tum de Deo Spiritu Sancto, qui dicitur esse cum Christo Magistro, tanquam autor miraculorum, cum per Spiritum Dei miracula fecerit Matt. XII. 28. partim in Christi Salvatoris dissertatione, quia potissimum de baptismo, vel mysterio regenerationis differere voluit, quæ regeneratio dicitur opus, vel Mystrium SS. Trinitatis, dum baptisari jubemur in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Matt. XXIII. 19. & Christus h. l. mentionem facit tum Dei Patris v. 3. nisi quis natus fuerit deo, non potest videre regnum Dei: nam visio Dei peculiariter ad Patrem refertur Matt. XII. 10. Psal. XVII 15. tum Dei Spiritus Sancti, cujus aliquoties mentio fit v. 5. & 6. cum sit nostræ regenerationis promissus condus: tum Dei Filii, qui regni Dei dicitur janua Joh. X. 7. vel introitus, quia non possumus absq; Christo Dei regnum intrare v. 5.

*Job. III. 1. seqq.
Mysterium
Trinitatis.
In Nicodemi
Confessione.*

*In Christi dis-
sertatione.*

A

Partim

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

In emphatica
Christi locuti-
one.

partim in emphatica Christi locutione v. 11. quod scimus; scientia ve-
ro Patri suo modo, tanquam fonti SS. Trinitatis, vel etiam Pri-
mae Mentis appropriatur; loquimur; loqui vero dicitur Filius, qui λό-
γος est Patris, & Orator totius SS. Trinitatis; & quod vidimus, testa-
mur, quia τὸ videre proprium Spiritui Sancto Gen. I. 31. & testari Spi-
ritui Sancto pariter accommodatur Job XV. 26. Hoc mysterium
etiam Esaias propheta Spiritu vidit c. VI. & nobis patefecit. Nam
DEUS de semetipso v. 8. dixit: *Quis ibit NOBIS? pluralitatem Per-
sonarum ostendens, & angelicus chorus Trisagion, Sanctus, Sanctus, San-
ctus &c. cecinit, pluralitatem hanc Trinitate definiens, ex quo Trisa-
gio calorum angelico nunc in terris Mysterium Trinitatis contem-
plabimur.*

Job. I. 33.

2. Job. I. 32. 33. pulcherrimum legimus Johannis Baptiste
de Trinitate testimonium, in primis autem verba v. 33. notanda ve-
niunt: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem vide-
ris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat
in Spiritu Sancto.* His in verbis proponit nobis (1) Patrem Dicen-

Patrem Di-
centem

tem, qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Hic dicens non fuit perso-
na secunda Trinitatis, quia persona secunda jam in carne comparue-
rat, & de secunda manifestum hic testimonium dabat, *Super QUEM
videris SPIRITUM descendentem: neq; Tertia, quia hæc de Tertia pa-
riter, nim. de Spiritu S. descendente, tanquam distincta persona,
loquitur, qua ratione Spiritum descendentem à persona Dicente non
obscure distinguit. Manet igitur, quod persona Dicens sit Pater, cum
à Spiritu S. distingvatur, & cum Johanne Baptista loquatur; Et ali-
as Pater est persona Dicens, sicut tanquam Dicens Creator, vel Elahim,
introducitur Gen. I. 1. tanquam Dicens Pater Psal. II. 7. Dominus di-
xit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te: tanquam Dicens in thro-
nisator Psal. CX. 1. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis &c.
tanquam Dicens inaugurator Matt. III. 16. 17. XVII. 5. ubi cælitus di-
cendo clamavit Pater: Hic est Filius meus dilectus &c. tanquam Dicens
revelator Heb. I. 1. quia Pater multis modis, multisq; vicibus locutus dici-
tur per prophetas, novissime per Filium. Sic etiam h. l. Pater introdu-
citur dicendo, quia præcursori Messie locutus est, precipiendo, quia
communiter DEUS Pater, ut legislator, introducitur, sic etiam*
h. l.

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

h. l. Baptismum præcepit; *mittendo*, sicut enim missio *Filii*, seu *Messia* passim Deo *Patri*, juxta scripturam, attribuitur, ita quoque h. l. *Messia* præcursorem, *Johannem Baptistam*, ad baptizandum misisse legitur.

3. (II) *Spiritum S. descendantem, vel quiescentem*: nam v. 32. dicitur: *Vidi Spiritum descendantem, quasi columbam, de celo &c. v. 32. super quem videris Spiritum descendantem, & manentem super eum.* Nam *Tertia persona Deitatis Spiritus est*, quam *Pater & Filius* ab æterno spirationis actu mirabili, vere tamen essentiali spiravit, & spirando *Spiritus* hic tum à *Patre*, tum à *Filio*, processit. *Tertia persona quies est, vel amor substantialis inter Patrem & Filium*, in qua *Deitas quasi terminatur & quiescit*; cum nulla, post *Spiritum Sancti* processionem, emanatio personalis ulterius in *Deitate* locum inveniat, aut invenire queat. *Spiritus Sanctus est*, cui juxta scripturam opus *sanctificationis* peculiariter tribuitur, sicut etiam ex *Apostolico symbolo* notum, & sic ad *baptismum sanctificandum* hoc loco descendit. *Tertia persona Spiritus Domini*, qui super *Messiam* descendere, & in eo requiescere debebat *Esa. LXI. 1 Luc. IV. 18.* & sic etiam h. l. *Spiritus descendisse, & in eodem mansisse, aut super eo quiescisse* perhibetur.

Spiritum Descendantem.

4. (III) *Filium testimonium accipientem*, quia testimonium hic illustre notatur, ipse est, qui baptizat in *Spiritu Sancto*. Testimonium hoc erat verbale, nim. *Patris dicentis, & dicendo restificantis*, qui *Johannem* vocavit, ad baptizandum ablegavit, ipsique prænuñciavit; *super quem videris Spiritum descendantem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto*, hoc est, verus *Dei Filius*, & mundi *Messias*. Testimonium hoc erat reale, *Spiritus* nim. *Sancti*, qui suo visibili, vereque reali descensu solenne testimonium edidit, quod hic *Jesus Nazarenus non sit homo nudus, sed verus Dei Filius*, tanquam *Messias* in hunc mundum missus. Conf. *Matt. III. 16.* Testimonium erat ministeriale, nim. *Johannis Baptista*: *Ego vidi, & testimonium perhibui*, dicit *Johannes* verbis immediate sequentibus v. 33. quia hic est *Filius Dei*, quando solenni simum & illustrissimum de *SS. Trinitate* Testimonium concludit. Quod *Johannes Baptista* primus *Evangelicus testis N. T.* vidit, & audivit, & sic ejus testis ocu-

Filium Testimonium Accipientem.

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

latus & auritus exitit, nim. de tremendo SS. Trinitatis Mystero, hoc itidem testis Evangelicus Veteris Testamenti, Esaias, olim vidit & audivit, & nobis de visis & auditis testimonium perhibuit, atque reliquit, ubi gloriam Domini, hoc est, *Gloriam Dei Patris*, de quo nullum dubium, *gloriam Dei Filii*, teste & interprete Christo Job. XII. 40. & *gloriam Spiritus Sancti*, teste Paulo Act. XXIX 26. suis oculis vidit, & gloriosissimum SS. Trinitatis Trisagion suis auribus audivit, dum legationem peculiarem divinitus suscepit v. g. 9. hinc ex presenti Seraphico Trisagio nos *Mysterium Trinitatis* meditabimur, quia proponit I. Seraphicam, vel Angelicam SS. Trinitatis Confessionem. II. Angelicam SS. Trinitatis Demonstrationem. III. Angelicam SS. Trinitatis Celebrationem.

Esai. 6.

v. Angelica
SS. Trinitatis
Confessio.

s. I. Angelicam SS. Trinitatis Confessionem quod attinet, Seraphim stabant & clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus: hæc Confessio SS. Triados, quæ non est diversarum essentialium, sed unius indivise prorsus essentialis Trias est, quod ostendit Sanctitatis identitas; eadem enim sanctitas tribuitur Patri, Filio & Spiritui Sancto: Sanctitas essentialis propria, ubi verò sunt eadem propria, vel attributa, ibi manet una semper & eadem essentialis: probat etiam idem sanctitatis equalitas; Pater dicitur sanctus, Filius dicitur sanctus, spiritus sanctus quoque sanctus glorificatur sanctitate non inæquali, sed equali: nulla siquidē hic concedenda, vel credenda disparitas, vel inæqualitas, ubi mera regnat equalitas, vel essentialis & attributorum identitas: & quia tres personæ per choros Seraphicos, velut æque Sancti, celebrantur, hinc identitas essentialis colligitur, quod etiam identitas verbi, vel phrasologias, aut doxologias ostendit. Non tamen unam tantum essentialiam celebrant, sed præterea Trinitatem personarum glorificant & adorant, ipsumque Trinitatis Mysterium demonstrant. Edant autem Seraphici Cantores & Confessores (I) Confessionem sanctitatis Paterna, vel ingenta, voce prima, Sanctus. Sicut enim hæc vox Sanctus, est prima, quam nulla præcedit alia in Trisagio Seraphico sanctitatis vel professio, vel confessio, vel celebratio; sic Pater est prima persona Deitatis, quam nulla præcedit alia, quaque nulla prior in mysterio Trinitatis invenitur: sicut hæc prima sanctitatis Confessio nullam se priorem respicit, ita Patris persona nullam relationem ad

Confessio sanctitatis Paterna, vel ingenta.

ad

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

ad aliam se priorem admittit; sicut confessionem sanctitatis primam secunda sequitur, & tertia: ita secunda & tertia persona Deitatis à Patre sumunt originem. Præterea sicut sanctitas absoluta dicitur & summa, statum eminentissimum, vereq; divinum sanctitatis inferens. Ita Pater prima persona sancta verus DEUS est: Sanctitatis vox prima sonat & significat idem, quod secunda & tertia: ita Pater cum Filio & Spiritu Sancto DEUS idem est: sicut Angeli, vel Seraphim Patrem, ceu sanctum, religiose colunt, & humiliter adorant, ita Patrem, tanquam omnium Angelorum, imò creaturarum omnium Autorem, vel Creatorem devote confitentur.

Sanctitatis
Genitæ.

6. (II) Confessionem Sanctitatis Genitæ, voce secunda, Sanctus; Quod enim Seraphim hæc voce DEUM Filium celebrarint, ipse Christus nobis est interpretes Joh. XII. 40. Sicut enim hæc vox ordine secunda est, ita Filius in Mysterio Trinitatis secunda persona Divinitatis est. Conf. Matt. XXIX. 19. I. Joh. V. 7. sicut hanc vocem paternæ sanctitatis Confessio, vel celebratio præcedit; ita Pater persona dicitur Filio prior: sicut hæc vox inter tres media reperitur; ita Filius, in SS. Trinitate media persona; sicut hæc vox à prima deducitur, ita Filius à Patre gignitur Psal II. 7. sicut hæc vox media, non primam, sed tertiam præcedit, non tertiam, sed primam sequitur, ita Filium non Patrem, sed Spiritum Sanctum præcedit, non Spiritum Sanctum, sed Patrem sequitur: ut media vox idem sonat, & significat, quod prima, simulq; dicitur in omnibus eadem: sic Filius & Pater unum sunt Joh. X. 30. & simpliciter unus & idem DEUS est Pater & Filius: sicut media vox est apud primam, ita Filius apud Patrem, Joh. I. 1. ut vox hæc absolutam sanctitatem importat, vel etiam absolutissimum Sanctitatis statum, ita Filius Sanctus Sanctorum Dan IX. 24. Sanctum καὶ ἁγιον Luc. I. imò verus DEUS est, qui sanctorum Angelorum, thronorum, dominationum, Principatum, potestatum creator Col. I. 16. & ab iisdem, velut creator, honoratur, adoratur, & glorificatur.

Sanctitatis
Spiratæ.

7. (III) Confessionem Sanctitatis Spiratæ, voce tertia Sanctus: ut enim hæc vox tertia, sic Spiritus Sanctus in Deitate tertia persona: sicut hæc vox ultima, sic Spiritus Sanctus ultima persona Trinitatis; sicut confessio divinæ sanctitatis in hac tertia persona terminatur, ita mysterium Trinitatis in spiritu sancto terminatur: ut vox ista Sanctus primam & secundam ordine sequitur, ita Spiritus ordine persona po-

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

terior Patris & Filii personis : ut vox hæc à prima & secunda deducitur, ita Spiritus Sanctus à Patre Filioq; spiratur, & vere Spiritus E-
lohim, Patris & Filii, nuncupatur Gen. I. 2. ut hæc vox ultima non tantum à prima, sed etiam à secunda promanat, ita Spiritus Sanctus non à Patre tantum, sed etiam à Filio procedit Job. XV. 26. Esa. XI. 2. Gal. IV. 6. ut vox hæc ultima cum prima & secunda simpliciter idem sonat & significat, ita Spiritus Sanctus cum Patre & Filio ejusdem essentia, DEUS idem, qui Pater & Filius : ut hæc vox equali statu ponitur, ita Spiritus Sanctus Patri. Filioq; coequalis, ejusdem majestatis & preestatis : ut in hac voce Sanctus aliquis ab angelis honoratur, adoratur & glorificatur, ita Spiritus, Sanctus, angelorum, omniumq; reliquarum creaturarum autor & creator Gen. I. 2. Psal. XXXIII. 6. simul adoratur & conglorificatur Act. XXIX. 26. Confer. Symbol. Nic. vel potius Constantinopolitanum, ubi contra Macedonios id asseritur.

**II. Angelica
 SS. Trinitatis
 Demonstratio.**

DEUS Pater.

8. II. **Angelica SS. Trinitatis Demonstratio** mediis continetur verbis, quando **Jehova**, vel **Dominus Zebaoth** appellatur. Nam qui est Sanctus, Sanctus, Sanctus, is unus **Jehova Zebaoth**. At Pater Filius & Spiritus S. sunt Sanctus, Sanctus, Sanctus : Ergo Pater, Filius, & Spiritus S. sunt unus **Jehova Zebaoth**. Et vice versa : Qui unus **Jehova Zebaoth**, is Sanctus, Sanctus, Sanctus : At Pater, & Filius & Spiritus S. sunt unus **Jehova Zebaoth**. Ergo Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt Sanctus, Sanctus, Sanctus, hoc est, tres personæ sunt in Trinitatis arcano sancto, imò sanctissimæ, & omnis sanctitatis origo vera, continua, perpetua. Hic **Jehova Zebaoth** est (I) **DEUS Pater**, qui est creator cæli & terræ Gen. II. 1. autor omnium exercituum cælestium ; **Jehova Zebaoth** patens dominator Psal. XXIX. 9. rerum omnium conservator atq; propagator, qui claves uteri possidet, matresq; steriles fecundas reddit I Sam. I. II. **Jehova Zebaoth**, justus iudex, renes & corda probans, rerum nostrarum vindex Jerem. XI. 20. **Jehova Zebaoth** iratus ob peccata Psal. LXXX. 5. Esa. XIII. 13. cui tanquam Patri d-berur omnis honor, omnis timor Malach. I. 6. qui rex maximus, & cujus nomen terribile v. 14.

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

9. (II) *DEus Filius*, qui pariter est *Jehova Zebaoth*, cujus *DEus Filius* gloriam *Esaías* h. l. vidit teste Christo *Joh. XII 41*. *Jehova Zebaoth* sanctificandus, qui pavor noster, & terror noster, & nobis erit in sanctificationem, in lapidem offensionis, & in petram scandali *Esa II X. 13. seqq.* *Jehova Zebaoth*, qui in monte *Zion* habitat *v. 13.* cujus onomatologia prolixè describitur *e. IX. 6. 7.* cujus *typus* erat *arca federis*, quæ propterea vocatur *arca Jehova Zebaoth. I. Sam. IV. 4.* in cujus nomine nobis auxilium omne datur, unde *David* in nomine *Domini Zebaoth* pugnam cum *Goliatho* suscepit, & monstrum illud horrendum visit, atq; totum negotium, omnibus *Israelitis* horrendum, feliciter expedivit *I. Sam. XVII. 45.* Huic *Domino Zebaoth* portas aperire debemus, cum sit *rex gloria*, *Dominus iste Zebaoth* *Psal XXIV. 10.* *Dominus Zebaoth nobiscum*, & *verus Immanuel* *Psal XLVI. 8.* *Dominus Zebaoth*, cui semper confidere, debemus cum in eum fiduciam omnem conjicere, veram beatitudinem afferat *Psal. LXXXIV. 13.*

10. (III) *DEus Spiritus Sanctus*. Hic *Dominus Zebaoth* est, qui locutus est per prophetas, unde quoties illud apud Prophetas allegatur, *Hoc dicit Dominus Exercituum, vel Jehova Zebaoth*, toties *Spiritus Sanctus Jehova Zebaoth* appellatur, cum ejus impulsu locuti sint *Sancti Dei* homines *II. Pet. I. 21.* Confer. *Esa, I. 24. XIV. 22. XXI. 10. XXXIX. V. Jerem. II. 19. XLIX. 5. L. 31. &c.* Hic est ille *Dominus Zebaoth*, quem propter prædictiones maxime celebrat *David. II. Sam. VII. 25. seqq.* *Dominus Zebaoth consolator* *Psal. LXXX. 8. 20. &c.*

DEus Spiritus Sanctus.

11. III. *Angelica SS. Trinitatis Celebratio*, quam ultimis verbis *Angelicum Trisagion* exhibet: *Plena est omnis terra gloria ejus.* Nam cujus gloria plena est omnis terra, is *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, hoc est, *DEus Trinus*: At *Patris, Filius & Spiritus Sancti* gloria plena est omnis terra: *Pater igitur, Filius & Spiritus Sanctus* sunt ille *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & *verus DEus Trinus*. Non enim tantum *DEus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus DEus gloriosus* est, cui quotidie regnum, potentiam & gloriam in *Oratione Dominica* tribuimus: sed etiam *D. us in Trinitate gloriosus* est, unde gloria celebrationis tribuitur in sacris literis (I) *Deo Patri*, cui verè debetur gloria

III. *Angelica SS. Trinitatis Celebratio.*

Deo Patri

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

gloria creationis, quia Dominus exercituum nuncupatur, hinc dicitur Psal. XIX. 1. Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum Psal. XXIX. 3. Deus gloria dicitur vocem suam in nubibus dare. Confer. v. 1. 2. 4. seqq. Quam magnificata sunt opera tua, Domine, Psaltes iterum exclamat Psal. CIV. 24. omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua, vel omnibus bonis tuis. v. 31. erit gloria Domini in seculum, latabitur Dominus in operibus suis. Confer. v. 1. 2. Gloria sanctitatis, quia tanquam sanctus hic predicatur, unde Paulus divitias gloriae Deo Patri tribuit in Christo Jesu Phil. IV. 19. & subjungit: Deo autem, & Patri nostro, Gloria in secula seculorum. Amen.

Deo Filio.

2. (II) *Deo Filio, qui Rex gloriae salutatur Psal. XXIV. 7. 8. 10. Confer. Psal. CXLV. 1. seqq. 11 seq. ubi magnificentiam hujus Regis & Regni ejus multis David celebrat Confer. Apoc. I. 6. IV. 9. V. 13. VII. 12. XII. 10. XIX. 1. 7. Et si Christo, Regi nato, statim primis post nativitatem horis, & non obscure quoad humanam naturam, exercitus militiae caelestis hymnum gloriae cecinerunt Luc. II. 14. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, & hominibus bona voluntas: multo magis Christo Deo Caelus angelici, quoad divinam Naturam, in caelis omne in gloriam obtulerunt, quia h. l. vidit Esaias, & audivit gloriam Filii Dei Joh. XII. 41. cui itidem debetur gloria creationis Gen. I. 3. Job. I. 1. 2. Psal. XXXIII. 6. Col. I. 16. & gloria sanctitatis Dan. IX. 24.*

Deo Spiritui S.

13. (III) *Deo Spiritui Sancto, quia hic etiam Dominus Zebaoth est, eiq; debetur gloria creationis Gen. I. 2. Psal. XXXIII. 6. Job. X. 8. Psal. CIV. 30. &c. gloria vera sanctitatis, cum peculiariter Spiritus hic Spiritus Sanctus appellatur, & est Dei Spiritus gloria Spiritus I. Pet. IV. 14. huic vere tribuitur omnis sanctificatio, sicut patet ex articulo tertio symboli, quippe qui spiritus est regenerationis & renovationis Tit. III. 5. dum renascimur ad fidem, & vitam sanctam in Spiritu Sancto Job. III. 5.*

XXXI.

XXXI. ORACULUM PROPHEPICUM

EX ESA. V. V. 22. 23. 24. 25.

AD DOMINICAM I. POST TRINITATIS

DE

MISERAB. VÆ IMPIORUM.

I.

Christus *Luc. XVI. 19. seqq.* Misericordiam humani generis conditionem introduxit, eamq; vivis quasi coloribus, sed diversis respectibus, depingit. Nam miserabilis erat divitis status coram Deo, tum ratione divitiarum, quia tales non Deo, sed sibi tantum tribuebat; ratione vestimentorum, quia per superbiam induebatur purpura & bysso, & sic miseriae symbola (qualia vestimenta sunt nuditatis & turpitudinis tegumenta) fiebant superbiae vel inciramenta, vel adjumenta; ratione ciborum, quia quotidie splendide epulabatur, & caenum suum his in terris quarebat. Miserabilis erat pauperis status coram mundo, tum propter paupertatem, quia mendicus erat; tum propter incommoditatem & loci, quia jacebat ad januam divitis, & morbi, plenus ulceribus; & remedii, quia nullam apud divitem, micas de mensa cadentes ei non concedeantem, aliquam apud canes, vulnera lingentes, misericordiam reperiebat: tum propter sepulturae nullitatem v. 22. Deniq; miserabilis erat Divitis status coram seipso, tum quoad *Væ vite*, quia gloria ejus externa erat ignominia interna, lætitia temporaria tristitiam æternam pariebat, momentanea voluptas in æternam calamitatem desinebat, qualis vita verè miserabilis: tum quoad *Væ pœnæ*, quia morte præmatura mox abripitur, in ignem infernalem conjicitur, & æternis torturis subicitur; tum propter *Væ iræ*, quod inde sequitur, quia nullam veniam, nullam apud Patrem Abraham gratiam, nullam remissionis pœnæ spem consequitur, ita ut neq; sibi guttulam aquæ, nec ministerium Lazari, neq; fratri-

*Luc. XVI. 19.
Miserabilis
humani gene-
ris Conditio.
ratione diviti-
coram Deo.*

*ratione pau-
peris coram
mundo.*

*ratione divi-
tis coram sei-
pso.*

B

bus

DE MISERABILI VÆ IMPIORUM.

bus correctionem & admonitionem extraordinariam impetrare possit. Hoc impiorum VÆ miserabile passim in sacris literis graphice describitur, inter alia multiplex Impiorum Væ pe: Esaiam c. V. 22. seqq. recensetur, ex quo Hoc impiorum Væ miserabile breviter considerabimus.

Isa. I. 2. seq.

Divina Væ
Impiorum de-
testatio.

2. Multum ire, multumq; pene secum trahit Impiorum Væ, quod prolixè Dominus apud Esaiam c. I. 2. 3. 4. deducit: *Audite celi, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est, Filios enutrivit, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me: Cognovit bos possessorem suum, & asinum praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit; VÆ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filis perditis; dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, averisunt retrorsum.* His in verbis occurrit (1) Divina Væ impiorum detestatio v. 2. 3. cujus vehementia, vel atrocitas apparet tum ex allocutione, quia DEUS non rationales, vel animatas creaturas, sed inanimatas creaturas, *caelum & terram*, producit, & ad detestabilem impiorum ingratitude arguendam, & condemnandam introducit, atq; sic peculiare quid hic esse notandum adducit, dum quasi COETER, sicut vulgo loquuntur, ad exaggerandam impiorum Væ, horribiliter exclamat: tum ex beneficiorum enumeratione; *Filios*, nimirum geniti, quia filii primum generantur; item *filios enutrivit*, quia filii post generationem postmodum educantur, ut nimirum haberem, qui me, ceu Patrem, colerent & honorarent; & *exaltavi*, ipse, ceu Dominus, eos *evexi*, & è turpissima, vereq; gravissima Diaboli servitute, perpetuaq; ignominia per Filium meum, Redemptorem, eos libertati restitui, celi, terræ, creaturarumq; reliquarum reges eos constitui, & celestem eis hereditatem unà cum Filio conferre decrevi; ipsi autem spreverunt me, *sis sind von mir abgefallen.* O stupendam malitiam! O turpissimam ingratitude! tum ex ignominiosa comparatione, quia *cognovit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui, Israel me non cognovit, & populus meus non intellexit*, adeoq; tanta hujus populi malitia, ut ipsi, qui rationales esse volunt, irrationalibus, & quidem stupidissimis animalibus, *bovis & asinis*, stupidiores sint, protervia, vel contumacia quovis bove, ignavia quovis asino peiores.

DE MISERABILI VÆ IMPIORUM.

3. (II) *Diserta Væ Impiorum explicatio, Væ genci peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis perditis. Væ illud indignantis, detestantis, & minantis est, sed non hominis, verum ipsius Dei; subiectum autem illius Væ gradatione quadam eleganti declarat, quod sit gens peccatrix, h. est, populus à legis divinae certitudine, rectitudine, & pulchritudine, perpetuo turpiter & contumaciter aberrans: deinde quod sit populus gravis iniquitate, qui scilicet onustus est gravissimis peccatis, imo sceleribus, & jam in sceleribus occallit dum gravissima flagitia quotidie non sine delectatione committit, horumque gravitate supprimitur, & ad miserabile peccati servitutem deprimitur, ut neque cogitationibus, neque verbis, neque factis, caelum conscendere, vel ad Deum accedere, eumque debita vel obedientia, vel reverentia honorare queat, sed potius terrenis, & vanis, imò damnatis voluptatibus adherere contendat. Porro, quod sit nequam semen, hoc est, quod non tantum seniores, sed etiam juniores, imò pueri teneriores & puellæ, malitiâ tantum advesciant, vel quod omnes verè mali simul ex malis parentibus geniti fiant, secundum illud Ezech. XVI. 3. Pater tuus Amorrhæus & mater tua Chetæa; vel quod meliores parentibus pessimis non sint, sed parentes suos malitiâ magnitudine, scelerum multitudine, vel etiam turpitudine, longe superent; vel quod circumcissione sua pessime sic abutantur, ut eum frangi semen ex sacramento regenerationis esse debeant, semen nequam esse, fœdus circumcissionis contemnere, & totam quasi substantiam suam, omniumque cogitationum, verborum & factorum semen in malitiam convertere malint; vel quod tanquam semen nequam indefinenter nequitiæ fructus faciant, & instar seminis ad malitiæ, vel nequitiæ messem copiosam quasi per naturam contendant. Denique filii scelerati, Hebr. בְּנֵי חַוְוָה filii corruptionum, perditionum, id est, corruptissimi, perditissimi: חַוְוָה quibusdam est, ad imum quasi, & funditus perdere, corrumpere & depravare. Perditi sunt illi active, quia perdidit viam doctrinæ, & variam ejus corruptelam contra Deum, Dei que verbum excogitarunt; perdidit viam vitæ, quam pessimis sceleribus commaculant, ita ut Sodomitis & Gomorrhæis non sint ab-*

Diserta Væ Impiorum explicatio.

DE MISERABILI VÆ IMPIORUM.

miles v. 10. perditur sunt *passive*, quia matu-ri sunt ad quamlibet, etiam gravissimam, poenam.

*Indubitata
Væ illius appli-
catio.*

4. (II) *Indubitata Væ illius applicatio*: talibus enim sceleribus suis illud *Væ* sibi noleantes volentes attrahunt, hinc ista scelera rursus per figuram climacis amplificat *Esaias*, quod hoc *Væ* divinum promerentur tam *Dei desertione*, quod dereliquerint *Dominum*; gravissimum enim hoc scelus est, *Dominum conditorem, conservatorem, & perpetuum benefactorem deserere, imo Dominum redemptorem, sanctificatorem & iustificatorem derelinquere; tum Dei blasphematione, quod sanctum Israël blasphemaverint: quia non nuda desertio penes eos reperitur, sed deserti conspiciatur offensio, offensi irritatio, irritati aspernatio, aspernati illusio, illusi blasphematio; nam summus contemptus, & horrendus ac abominabilis divini nominis abusus est blasphemia; tum plenaria Dei abiectio, quia ab alienati, vel aversi sunt retrosum: nam abjiciunt Dei verbum, Dei cultum, imò DEUM ipsum. Væ illi populo, qui DEUM non habet, vel agnoscit, sed væ, iterumq; Væ illi populo, qui DEUM agnitum deserit, offendit & contemnit, ignominia & blasphemia afficit, & penitus abjicit. Hoc *Væ Impiorum* vere *miserabile*, sicut hoc prolixius idem propheta *Esaias* c. V. 22. seqq. exponit, ex quo *Miserabile Væ Impiorum* itidem meditabimur, quia proponit I. *Miserabile Væ Vitæ* v. 22. 23. II. *Miserabile Væ Penæ* v. 24. III. *Miserabile Væ Iræ* v. 25.*

*Miserabile
Væ Vitæ.*

*Væ Vitæ Do-
mesticæ.*

5. Dum *Esaias Impiorum* multiplex *Væ* iussu divino describit, inter alia I. *Miserabile Væ Vitæ* nobis exponit v. 22. 23. Triplex autem cum *humana vitæ status* sit, nim. *Domesticus, Politicus & Ecclesiasticus*, hinc illud *Væ vitæ Miserabile status* hos omnes apud impios corrumpit, & sic de impiis ostendit (I) *Væ Vitæ domesticæ* v. 22. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem: nam cui væ? dicit sapientissimus Salomo Prov. XXIII. 29. cui gemitus? cui rixa? cui querela? cui sine causa vulnera? cui rubedo oculorum? nonne his, qui sectantur vinum, & student calicibus epotandis? ibi nim. ubi Bacco sacra fiunt, ubi gula litamus, ubi luxurie vestium indulgemus: qualis fuit dives Epulo Luc. XVI. 19. qui heros fuit potando, vorando, splendidissimis se vestibus ultra conditionis sue*

sue

DE MISERABILI VÆ IMPIORUM.

sua statum exalrand. Uade *Esaías* hoc loco tales *Heroes Bacchi* reprehendit, qui potentes sunt ad bibendum viam, heroes vel bellatores *ceveris*, die *Krieger* sind in *fullerey*: רַבִּי eam licet interdum *vinum* significet, tamen juxta *R. David* significat, quicquid inebriat præter vinum, cum in sacris non raro vino contradist negatur: uade potus dicitur inebriativus, qui fit è *frugibus*, qualis nostra *cerevisia*: sicut autem potus est è *fructibus*, ita non incommode luxu iam etiam è cibo denotat: & consequenter etiam luxuriam vestimentorum reprehendit, quod germanicum *füllerey* clarius insinuat. Uade h. l. *de vita Domestica* tribus istis comprehendimus, *luxuria potus*, *luxuria victus*, *luxuria amictus*, quæ verè pestes sunt *Vite Domestice*, fontesq; vitiorum & malorum omnium.

6 (II) *de Vita Politice*, qui justificatis impium pro muneribus: nam hæc impiorum justificatio nihil aliud est coram Deo, quam detestabilis quædam abominatio *Prov. XVII. 5.* totalis est vitæ politice corruptio, justitiæ violatio, injustitiæ propagatio & defensio, unde passim in lege $\text{\omega\rho\rho\omega\pi\omicron\lambda\eta\psi\iota\alpha\varsigma}$ & $\text{\delta\omega\rho\theta\alpha\gamma\iota\alpha\varsigma}$ Deus prohibuit, & ipse factis suis probavit *Deut. I. 17. X. 17. I. Sam. XVI. 7. I. Par. XIX. 7. Prov. VI. 35. XXIV. 23. XXIX. 28.* &c. sicut è contra justorum suppressio vehementer eisdem statum politicum corrumpit, omnem justitiam tollit, cives injustitiæ studiosos efficit, omnemq; justitiæ servandæ diligentiam penitus è civitate, vel civili vita proseribit.

de Vita Politice.

7. (III) *de vita Ecclesiastica*, & justitiam justi aufertis ab eo. Hæc quidem verba, sicut è contextu non obscurius apparet, \kappa\tau\iota $\text{\tau\omicron\epsilon\eta\tau\omicron\nu}$, & quoad immediatum sensum, de jure politico, seu violatione justitiæ civilis, agunt, non incoavenienter tamen etiam ad res spirituales & Theologicas accommodantur, cum justitia spiritualis sit optimum & verissimum justitiæ civilis fundamentum: & hominibus justis etiam coram Deo justitia competit: justitia verò justi Theologica dicitur justitia fidei *Habac. II. 4.* justitia Christi *Rom. III. 22.* consequenter etiam opus Spiritus *Gal. V. 22.* justitia nostra *Ps. VII. 9. XIX. 25.* Illi proinde, qui iusto fidei justitiam eripiunt, & justitiam operum substituunt, qui justitiam Christi vel penitus tollunt, vel ex parte destruant, & justitiam etiam veram operum, in justitia

de Vita Ecclesiastica.

DE MISERABILI V IMPIORUM.

Christi fundatam, & eadem exornatam, hominibus eripiunt, gravissimum scelus committunt: unde non immerito propheta *Vae* dicit ipsis, quia animas Deo, Deum animabus, justitiam & salutem animarum nobis eripiunt. Tales sunt omnes haeretici, doctrinae purioris & veritatis caelestis hostes atq; corruptores, verae justitiae Christianae violatores.

II. *Vae* *Pænae*
Miserabile

Vae *celerrimum*

8. II. *Miserabile Vae Pænae* describitur v. 24. Videntur sibi felices impii, quoad externam & mundanam vitam, licet revera sint infelices. At nec apparens illa felicitas diuturna, quia statim pæna propter justam Dei vindictam sequitur, adeoq; *Vae pænae* tunc ipsis imponitur. Describit autem *Esaias Vae pænae*, quod sit (1) *Vae celerrimum*, seu *velocissimum*: Propter quod sicut devorat stipulam lingua ignis: propter quod, inquit, ostendens immediatam culpæ, pænaeque connexionem, indubitatam pænae consecutionem, & subitanam Dei vindicantis immisionem: hinc ignis comparatio verbis propheticis adhibetur, ut *pænae velocitas* insinuetur: ignis enim subito currit, nec impedimenta facile sui cursus admittit, inprimis quando magnam in flammam erumpit, ita sine mora cuncta sibi obvia consumit, inprimis si stipulas effendit, vel stramen, ita citissime cuncta consumit, & velocissimo cursu procedit: ita velocissimus ignis impiorum pæna, quæ passim in scripturis à velocitate describitur, & in culpæ, scelerumque dehortationem impiis proponitur. Vid. *Psal. XXXVII. 35. seq. Ps. LXXIII. 18. seq. &c.* Exemplo nobis esse potest *divus Epulo*, qui subitanea morte perit *Luc. XVI v. 21.*

Vae *exitiosissimum*

9. (II) *Vae exitiosissimum*, & sicut flamma paleas absument, sic radix eorum, quasi putredo erit, & germen eorum, ut pulvis, ascendet: non enim flamma ignis stipulas tantum velociter & absq; mora, sed etiã totaliter, & absq; reliquiarum ullarum vestigiis comburit, imò penitus tollit & perdit, ita ut nihil faciat reliquum: sic omnino gravis impiorum pæna futura, sicut dicta cum exemplis docent; atq; sua velocitate non solum impios tangit, sed etiam sua gravitate tantopere premit, ut nihil ipsorum remaneat *Psal. XXXVII 36. Psal. LXXIII. 18. seq.* imò radicibus extirpabuntur, quia *radix eorum quasi putredo erit, nihil integritatis, nihil viriditatis, nihil vigoris*

DE MISERABILI VÆ IMPIORUM.

retinebit, sed instar putredinis corruptionem plenariam habebit, neq; tantum *putris* erit, sed ipsa *putredo*, sic wird ganz und gar verfaulen und zerfallen / ut *nuspiam* appareat; hinc etiam *germen eorum*, ut *pulvis*, *ascendet*: sicut enim *stipulae* post combustionem evanescent in *favillas*, ascendant in *aerastenues*, & postmodum ut *pulvis* *ascendat*, ac *vento* penitus *disipantur*, ut *nuspiam* amplius vel *stipulae*, vel *favillae*, vel *pulvisculae*, compareant: ita *radix impiorum*, cum omnibus *surculis*, & *surculi* cum *radice*, hoc est, *liberi* cum *parentibus*, *minores* cum *majoribus*, ex hoc mundo penitus *eradicabuntur*, nullumq; locum amplius vel in *terra*, vel in *hominum* *memoria* habebunt.

10. (III) *Væ justissimum*: *abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium Sancti Israel blasphemaverunt*; atrox vitium est, legem Domini *negligere*; flagitium atrocius est, legem neglectam *vili pendere*, vel etiam *contemnere*, sed atrocissimum scelus est, legem Dei *contemptam* prorsus *abjicere*, quod non potest DEum *justissimum* ad *iram* & *vindictam* non *provocare*: sed quid dicendum erat de illis, qui legem, ex contemptu *repudiatam* & *abjectam*, pessime blasphemabant, imò Dei *verbum* omne, qui tamen *sanctus Israel* blasphemare contendebant! Dei legem, vel etiam *verbum* ejus *abjicere*, est DEum ipsū *abjicere*: Dei legem, vel etiam *verbum* blasphemare, est DEum ipsum *blasphemare*: tales autē Dei *contemptores* & *blasphematores* suo merito *justum* *judicium*, & *meritum* *pænae* *supplicii* experiantur, quia DEus & *sui*, & *verbi* *sui*, & *legis* *suae* blasphemum contemptum graviter *ulciscitur*, ut verum maneat illud *Psal. CXIX. justus es Domine, & justum judicium tuum*. Hac ratione sceleratis istis *væ justissimum* *suppliciorum* imponit, & blasphemantibus blasphemiae mercedem offert atq; confert, *pænam* scil. *divinam*, *plenariam*, & nisi velint agere *pœnitentiam*, *æternam*.

Væ justissimum

11. III. *Miserabile Væ ire*, seu *æterna miseria* v. 25. qua ratione dicitur hoc *Væ ire* (I) *Væ horribilissimum*, ideo *iratus* est *furor* Domini in *populum suum*: non tantum *ira*, sed etiam *furor* exarsit, vel *iratus* est *furor*, quæ sive *copulatio*, sive *gradatio*, dicitur *exaggerationis* *horribilis*: *Iratum* *gravis* est *res* habuisse DEum, sed si *furor* additur, quid tam dicendum? in primis quia non *hominis*, non *angeli*, sed

III. Miserabile
Væ ira.

Dei

DE MISERABILI VÆ IMPIORUM.

Dei Zebaoth furor exarsit, qui cunctis Zebaoth, vel exercitibus imperare potest, ut voluntatem & verbum ejus exequantur Psal. CXLVIII. 8. adeoq; cunctos creaturarum exercitus ad sui furoris executionem adhibere potest, & ardet certe, quod maxime horrendum, iste furor usq; ad inferni novissima Deut. XXXII. 22. ut nullus post hanc inflictam pœnam veniæ locus sit futurus. Licet n. h. l. propheta de temporali pœna Israelitarum loquatur, tamen quia pœnæ temporales sunt æternarum præludis, ita post pœnam exitiosissimam & plenariam, quæ penitus arbor cum radice est consumpta, non incommode Væ illud de æterna ira, de æternapœna, de æterna miseria, explicatur: qualis autem istius iræ sit vehementia, ex locis, quæ de pœnis & cruciatibus infernalibus agunt, illustrari potest. Ex quibus facile cognoscitur, quod væ illud sit horribilissimum, cum primis quia super integrum populum extenditur.

12. (II) *Væ copiosissimum, vel amplissimum, quia suam manum extendit super eum, & percussit eum, scil. populum, & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum, quasi lutum in medio platearum; DEUS iratus manum fortem & gravem, pœnis plenissimam extendit, dextram potentia, ut potenter malos affligat, dextram justitiæ, ut eos juste tortoribus infernalibus tradat, dextram severitatis & vindictæ, ut eos in inferno severe puniat, nec quicquam de pœnis gravissimis remittat; extendit autem manum ad percussionem, quæ percussio, cum primis in inferno, prorsus intolerabilis: nam DEUS flagellat interius veritate conscientia Esa. LXVI. 24. exterius igne infernalis tortura Luc. XVI. 24. conturbati sunt montes nim. potentes reges & tyanni, & facta sunt eorum morticina veluti sterens, quia tales montes contremiscunt, imò penitus in nihil abeunt, ut nihil celsitudinis amplius appareat, hinc ipsorum corpora damnata v. licta sunt luto. Nam qui DEUM contemserunt antea, post summo contemptu perpetim afficiuntur.*

13. (III) *Væ durabilissimum, in his omnibus non est aver suo furor ejus, sed ad huc manus ejus extenta: nam ira ejus & furor in æternū durat & in æternum super omnes damnatos manebunt, & manus ejus, dextra justitiæ, severitatis & vindictæ, miserabiliter eos in omnem æternitatem sine omni spe veniæ, sine omni spe redemptionis, sicut hæc omnia ex colloquio Abrahami cum divite Epulens Luc. XVI. manifesta fieri possunt.*



*I*ustitia Dominus, JESUS, sed *hypocrisis* absit,
Justitia Monstrum dicitur illa piis.
 At qui *Justitia* veræ studiosus, JESU
 Discipulus, Mebrum, Fraier, Amicus erit.
 Augmentum Domini benedictum semper, ubiq;
 Huic veniet, *felix*, & benedictus erit.

Justitia studium TIBI gratum, CLARE MAGISTER,
 Augeat hinc Dominus munera larga Tibi!

Johannes Deutschmann / D.



An Herrn M. Müllern

Seinen vor der Zeit in der Philosophie und Theo-
 logiæ fleissigen Hörer / und iederzeit werthen Freunde /

Ech kenne deinen Fleiß bey denen Nigamippen /
 Und sehe dich mit Lust begeistern Phœbus Thron:
 Du hast gezeiget mir mit deinen weisen Lippen /
 Wie Dich Eusebie erhob' als ihren Sohn:
 Du fährest enfrig fort die Stelle zubekleiden /
 Wo Gottes helles Wort erschallt in Lauterkeit:
 Gott wolle deinen Lauff auf lauter Segen weiden /
 Und füllen deine Werck mit der Zufriedenheit!

gab dieses in geflügelter Eil

Simon Friedrich Frenzelius,
 der Philosoph. Facultät Adj.



MEpulse sanctoribus gratarier
 Iterum Tuis, MÜLLERE, jam-conflictibus,
 Cum relliqvis lætor benè cupientibus.
 Uthæ tuæ partes probantur optimis;

Sic

Sic dignitati non deest adorea
Laudum. Sed ipse nolo laudes persequi.
Te Fama chartis doctioribus canit.
Hæc addo tantùm: Floreas feliciter!

Inter concatenatos Labores à vobis.

M. JOHANN Peißker / P. L. C.
& Schol. Wittehb. Rector.



Quas singularibus parvis scientias
Laboribus, vides inestimabilem
Subinde gloriam TIBI progignere.
Iners lateet vulgus, timetq; progredi
In publicam lucem, verens ut noctua
Prudentioribus viris ludibrium
Neq; fiat & jocus. Sic ardor ignei
Is Pectoris constans, perenne surget &
Ex somnibus nomen paratum noctibus.

Prolixiori affectu quàm Carmine
M. Joh. Jacobus Stübelius.



S dists/geehrter Freund/so muß man unterdrücken/
Die heuchlerische Rott mit ihren falschen Tücken/
Die rechte Teuffels Brutt mit der Gerechtigkeit/
So sie zu hegen pflegt in dieser letzten Zeit/
Dadurch/ach Elend/ach! manch Gott geweihter Tempel
Zu grunde gehen muß/ach! andern zum Exempel.
Dis lehrt H. Müller heut des Heilgē Geistes voll/
Wie sich ein Christen Mensch vor Heuchlern hüten
Er fahr nur inner fort mit klugen disputiren/ (soll.
So wird der Himmel Ihn mit frischen Lorber ziern/
Mit Lorber/so stets grünt und unverwelcklich bleibt/
Der seinen großen Fleiß ins Buch der Ehren schreibt.

J. G. O.
SS. Theol. Stud.

Coll. Diss. A. No. 2, wis 1